

Q.K  
369  
4

(X1882563)

T. 432. 16.

CONSTANTINUS M.  
IMPERATOR,  
maximorum postulatus cri-  
minum, sed potiori parte absolu-  
tus, ex Judiciali Gen.

II n  
525

SUB PRÆSIDIO

GEORGI CASP. KIRCHMAJERI,  
Orator, P. P. Academiaeque Senioris,  
In Electorali ad Albim inclyta,  
Repraesentabitur publice,  
*In Auditorio Majori,*  
à d. Octobr. Anno 1698.

M. JOH. ERNESTO WEGNERO,  
WITTEBERGENSI.

WITTENBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.





§. I.

**A**rtes Juridicalis nostri Generis occurrunt uni-Generis Juridi-  
 versim duæ, accusatio, defensioque: illa Græcis dicitur κα-cialis Partes,  
τηγορία, hæc ἀπολογία: Loci in eodem varii se offe-  
 runt; quos inter principalis petitur à justo, vel injusto. Mi-  
 nus principales producentur singulatim. Referuntur  
 huc Orationes querulæ inprimis; jurgiis, opprobriis, expostulationi-  
 bus, & indignationibus refertæ: ut per Statûs varios, conjecturalem, de-Staty varii,  
finitivum, qualitatis denique & quantitatis seriò examinentur. Justum  
quomodo ab æquitate differat? docetur alibi. Jus strictè universa exi-  
 git, rigore Legum. Æquitas (quam Græci ἐπιείκεια appellant), à ri-  
 gore plurimum remittit, leniorque juris & benignior interpretatio est.  
Intentio accusatoris prima, inter incidentes quæstiones plures, Caput  
causæ atque disceptatio Latinis, Græcis τὸ κρινόμενον; qui impingit cul-  
pam, δίκας δικάζομεν, vel τὰς γραφὰς γραφόμεν, qui dicam  
scribit alteri, vocatur, adversariusque audit.

§. II. Constantinum M. inter Christianos principem Imperatorem Constantinum M.  
accusavit graviter, in opere Ecclesiasticarum rerum lib. 8. c. 3. Vir Cl. Princeps Imperat.  
Arnoldi, Ex Professor. Acad. Giess. nostræ olim Civis, utinam benignior Christianor,  
in innocentes Viros Academicos, & gratior, in Scripto nupero Apologe-  
tico! nam benè de se meritos Wittebergenses, teste conscientiâ, fatebi-  
tur. Consulto principem Imperatorem inter Christianos Constanti-  
num M. salutavimus; Scaligeri judicio, sententiam indignam rati, quæ  
Philippo Arabi has vindicat primitias. Induxit eos in errorem non Eu-non Philippus A-  
sebius, qui lib. VI. H. E. c. 34. communi famæ tribuit, sed fortè Hiero-rabs,  
nymus, Orosio consentiente ac Jornande. Quâ verò audaciâ recentiores  
aliquot, Sabellicus, & plures idem asseruerint, Magnificus t. t. ProR. U-  
niversitatis Fridericianæ, meritorum, pro re literaria, magnitudine Cele-  
bratissimus Vir, Dn Christoph. Cellarius, Kortholto Respondente, in pe-  
culiari diatribâ docuit extremo nuper mensè Januario. Plures post Euse-  
bium

bium, Scriptores, frustra tamen, eam in rem allegavit Dn. Job. Rudol-  
phus Wetstenius, P. P. Basil. in Dial. Origenis, ex Mscr. Codicib. Philip-  
pum nempe Arabem fuisse primum inter Christianos Principes. Euse-  
bius proinde excusandus, qui rumoribus inductus testimonium credu-  
litas, ex auditu aliorum profert, nec affirmat ipsemet: κατέχει λό-  
γῳ, rumor est.

Graviter accusat  
ab Arnaldo,

§. III. Accusatoris mens expressa titulo totius Capitis prædicti, ea  
est. Sub Constantino M. Christianam rem prolapsam in deterius fuisse.  
Hanc ut argumentis roboraret opinionem speciosis, nihil facit reliqui,  
quod ad Imperatoris vituperium vel ex profanis & gentilibus Scriptori-  
bus adduci poterat. Quid causæ Vjr, Antiquitatis multò scientissi-  
mus, habuerit? Theologorum commendamus curis. In Conjecturali  
statu fas sit credere, pro Regno Chiliastico stabiliendo, fundamen-  
ta secus sentientium evertere, conisum. Quod ex n. 26. c. 3. lib. 8. col-  
ligas. Qui pro rostris aliàs orârunt causas veteres patroni, eò in-  
cumbebant, ut primùm assererent existimationem innocentiamqve rei;  
post, ut tela adversantium depellerent, & ad objecta responderent cri-  
mina. In foro jam versamur non Martiali, Curie Hostilia, sed Pacis, &  
Concordie dicato Romæ, ac à templo Palladis Palladio cognominato.  
Confer huc Polletum in Histor. Fori Rom. l. 1. c. 3. Stemus, & pugne-  
mus igitur pro fama Optimi Imperatoris, Constantini Maximi, aut cer-  
tè Magni.

Existimatis ei affe-  
rit,  
teste Lactantio  
ejus elogio,

§. IV. Prodeat Lactantius αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος, exceptione ma-  
jor testis, Latinorum omnium, qui sacra dogmata tractârunt, ex præco-  
nio Job. Ludovici Vivis, & Francisci Floridi, eloquentissimæ. Hic, re-  
ferente Hieronymo, extremâ senectute, Crispi, Cæsaris, occisi postea à Pa-  
tre, filius magister, primùm Nicomediae Rhetoricen professus, tantâ gloriâ  
sub Diocletiano; ut dicendî arte principatum facilè, post Ciceronem, ob-  
tineret, testimonio Tribemii Abbatis: ne adjiciamus Lilii Greg. Gy-  
raldi, Celiiqve Rhodigini, de Lactantio, aut plurium elogia, Eusebii Pam-  
philidis, Episcopi Cæsariensis si suspecta fides sit Arnoldo, producamus  
ordine idoneos, auctoritate Patres, numero sufficienti; ipsumqve  
Legum Codicem, & ex eodem consulamus primò Cæsarem Zenonem.

§. V. Adsit δικαιολογία ergo Celius Lactantius! Sic ipse, autem pri-  
mo de Religione falsa, lib. n. 1. Primus Romanorum Principum ( Con-  
stantine Imperator Maxime) erroribus repudiatis, Majestatem Dei singu-  
laris,

laris, ac veri, & cognovisti, & honorasti. Nam cum ille dies felicissimus orbi terrarum illuxisset, quo te Deus summus ad beatum Imperii culmen evexit, salutarem universis & optabilem Principatum præclaro initio auspiciatus es; cum eversam sublatamque justitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiasti. Pro quo factò dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem; ut eadem justitiâ, quâ juvenis exorsus gubernaculum Reipubl. etiam senex teneas, tuisque liberis, ut ipse à patre accepisti, tutelam Romani nominis tradas, nam malis, qui adhuc adversus justos in aliis terræ partibus sevirant, quanto serius, tanto vehementius idem omnipotens mercedem sceleris exsolvet: quia, ut erga pios indulgentissimus pater, sic adversus impios rectissimus iudex. Cujus religionem cultumque divinum cupiens defendere, quem potius appellem? quem alloquar? nisi eum, per quem rebus humanis justitia & sapientia restituta est. Pondera verborum testimonio Lactantiano insunt; unde colligas, hæc pro Constantino M. argumenta, in Judiciali genere à statu λογικῶν, s. rationali, & νομικῶν, seu legitimo, petita.

§. VI. Quicumque veri Dei & singularis Majestatem & cognovit & honoravit; idololatra non mansit, aut veneficis magisque fuit ipse deditus. De Constantino M. prius asserit Lactantius, posterus antagonista. Porro: Qui eversam sublatamque justitiam reduxit orbi, injustitiæ non debet postulari, aut hoc crimine famigerari. De Constant. M. iterum Lactantius testatur eadem: quid ergo adversarius sugillat? Cujus operâ religio, justitia & sapientia restituta est, ab illo iniquissime oppressa dicitur. Assumptum, per singula, Lactantius tuetur. Erubescat igitur ἀντιδικῶς. Non equidem ignoro, quid repositurus cum nonnullis sit, ut locum hunc suspectum reddat; cum in Codicibus non omnibus inveniatur. Fateor, sic pariter colligere, in observationibus *Isæam*, inductum, aut seductum partim ab hypothese, haud vera; quasi primus Principum Christianor. fuerit, non Constantinus M. sed Philippus Arabs; partim à varietate Codicum Mscr. Abest enim hæc oratio, inquit, & à VII. Vaticanis, ut et ab editione Florentina. His nos interim opponimus antiquos Codices membranaceos, Gronovii, parentis, Joh. Cauci, primoque nominandos, Desiderii Erasmi, Palatinum item, ac Rostochiensis; ne de pluribus Editionibus dicamus. Quid? quòd & emendatissimus in Mscr. Cod. Wittebergensis noster, eandem planè exhibet. Nec est, cur vel Hieronymi, vel Orosii potissimum auctoritate stemus, & Philipp. Arabem ponamus

Philipp. Araba mus inter primos Christianos Principes. Quidni Sulpicius praevaleat  
prim. Christ. Principis Severus scribens: Constantinus PRIMUS OMNIUM Romanor. Principi-  
o fuisse. pum Christianus fuit. Quidni fidem potius Zenoni habeamus Caesari?

qvil. 5. C. de naturalib. Liber. Divus Constantinus, ait, veneranda Chri-  
stianorum fide Romanorum munivit Imperium. Rectissime profecto  
Scaliger in notis ad Eusebium n. 2260. judicat: Ne, magnam injuriam  
sacrosancto Christi cultui faciunt, qui primi hunc latronem Araba, Domi-  
ni sui Imperatoris (Gordiani) innocentissimi, & reipub. maxime necessarii,  
interfectorem, idolorum cultorem, & ex cujus vita nihil tale colligi potest,  
Christianum ausi sunt dicere.

» §. VII. Totius causae principalis quaestio huc redit: JURE NE SIT  
» TALIAM TANTORUMQUE CRIMINUM POSTULANDUS  
» CONST. M. QUALIUM ARGUITUR A ZOSIMO, ET QVI SE-  
» QUUNTUR EJUS FIDEM? Quaestiones incidentes, ideoque minus  
principales, plurimulae occurrunt: Eusebiusne Oratorem magis egerit,  
an Historicum, per libros IV. in percensendis Constantini M. rebus? Pestil-

Crimina, quae res  
agit, C. M. ab Ar-  
noldo,

C. M. An Arianorum idem signifer extiterit? An perfidè à C. M. in-  
teremptus sit Licinius? an vox audita caelitus, post baptisatum Constant.  
M. de effuso in Ecclesiam pestilentissimo veneno? An Pontificatus Romani  
fuerit fundator & immodicis largitionibus prodigialiter luxuriosus? Ho-  
rum enim passim omnium insimulatur, agiturque reus, ab A. Suis Ju-  
rediciale Genus locis constat, propriis communibusq. Illis, propter bre-  
vitatem, acquiescimus, Hermogenis doctrinam ducti. Primus ipsi est τὸ  
νόμιμον, legitimum, (2.) δίκαιον, seu justum, (3.) συμφέρον, utile; quod  
duplex, vel τὸ χρήσιμον, proficuum, vel ἀναγκαῖον, necessarium; (4.)  
δυνατόν, possibile, (5.) ἐνδοξόν, honestum atque gloriosum, (6.) ἐκτε-  
σόμενον, eventus. Ad haec ostendenda singula Eusebius Pamphilides,  
Episcopus Caesariensis solus equidem sufficeret: sed cum auctoritas fides-  
que Celeberr. Scriptoris adducatur in discrimen, & rejiciatur penitus ab  
Adversario; pretium omnino operae facturi sumus, si expediamus inci-  
dentem quaestionem primam ante.

Generis Juridic.  
loci,

» §. VIII. Principio negandum non est, aut dissimulandum, parti-  
Eusebii excusat bus Origenis, & Arianum Eusebium favisse prius, quam post Synodum Nicae-  
nam meliora animo indueret. Origenis immodicus initio defensor,  
Bellarmino iudice, Gelasii obelum meritis, adhæsit Arianæ hæresi; quod  
non

nec diffitetur *Athanasius*; & loca demonstrationis Evangelicæ nonnulla docent. Sed errare ut humanum, isthoc seculo potissimum; sic perseverare proprium *Eusebio* non fuit. vid. *Billius* in sacrar. observat. lib 1. c. 27. Testis ipse (quem persequebatur aliquando,) *Athanasius*, Epistolâ de Syn. *Nicæn.* & contra *Arian.* hæresin decreto; dum *Eusebium* resipuisse ait, à *Nicæna* Synodo, & in sententiam, quam abnegasset pridie, postri- diè concessisse. Conferatur *Chamier* in Panstrat. Tom. I. lib. 9. c. 8. qui post abjuratum in eâdem Syn. errorem, nihil quicquam amplius *sinistri* relatum esse de *Eusebio*, testatur. Eadem Theologis (si Pontificios excipias,) recentioribus & accuratioribus mens placuit, *Calovii* B. nostri testimonio, de *Eusebiana* fide, ad Conf. Aug. Artic. I. de De- creto Synod. Nic. c. 7. §. 17. In Chartophyl. Ecclesiast. revincit *Gvil. Cave*, nullatenus κυρίως δόξαις *Arianæ* hæresis *Eusebium* imbutum; reportasse potius elogium Imperatoris C. M. qui de ipso dicere consue- vit: EUSEBIUM NON UNIUS URBIS, SED PROPE TOTIUS OR- 11 BIS EPISCOPUM DIGNUM ESSE. *Sixt. Sen.* in Biblioth. l. 4. *Abrab.* 11 *Bucholzer.* facilè Chronographor. principem Ecclesiasticorum, (cujus fa- tis æstimari labor à posteritate nequeat,) Indic. Chronolog. πολυμαθῆ καὶ πολυίσορα *Cedrenus* nominat.

§. IX. Historicum paganum, *Zosimum* in criminando *Const. M.* & in *Eusebio* accusando: nobile purpuratorum Patrum par, *Bellarminum* inquam & *Baronium Arnoldi* unus superavit. Ab injuria quid pro- prius? si non ab infamia. Jam enim dubitant, ab *Hieronimi* silentio argumentantes, fueritne 4. libror. de vita *Constantini M.* autor ipsemet *Eusebius*? cum stylus tamen arguat, & *Phorius* confiteatur in Bibliothe- ca, dum ἐγκωμιαστικὴν τετραβιβλον appellat opus istud 4. librorum. Neque idem vel servilem ei assentationem, vel apertè falsa, sed hoc tan- tum exprobrat, quòd ad splendorem faciat *Oratio Eusebiana*, & ad flo- ridum dicendi genus tendat. Quamquam ad Orationem, habitam seor- sum magis, quam ad libb. 4. *Constantiniane* vitæ hic respiciat elenchus. Jam Encomiastæ partes subiisse potius, quam Historici, *Eusebium*, in- geminat *Baronius*, tertio Annal. volumine; quemadmodum in apo- cryphorum numero reponit *Bellarminus*. Quorum eò πρῶτον ψεῦδος respicit; quandoquidem Ecclesiasticas donationes *Constantini M.* retulit amplissimè *Eusebius*; nec verbo tamen fictæ meminuit illius, quâ Pontifi- 10. ei *Sylvestro* Urbs, cum divi *Petri* patrimonio, & successoribus donata sit.

§. X. Ea-

Arnoldi. p. se citat  
Script. Ethnic.  
omissis Patribus

S. X. Parùm certè laudis meruit antagonista, dum prolixam scribit dicam *Cæsari*, & testimonia *Eusebii*, Episcopi, suspectat. Cur enim, si quid obtinere voluit, utrumqve impugnando, *Zosimum*, Scriptorem ethnicum, juratum hostem Christiani nominis, producit? Cur non potius citavit Patres, aliosvè, qui ætate proximâ secuti sunt *Eusebium*, ne dicam de *Lactantio* vel *Athanasio*. cur non docet ex *Hilario*, *Victorino*, *Epiphano*, *Basilio*, *Greg. Nazianz.* *Nysseno*, *Ambrosio*, *Socr.* *Sozom.* *Ruffino*, *Augustino*, aliisqve, vitia vel *Constantini*, vel *Eusebii*? quos allegare potius debebat, si quid apud eos invenisset. Cur *Sulpitium Severum* (*Hieronymo* æqualem & *Ruffino*,) supprimit? qui, licet propter *Arianam* hæresin accuset *Constantin. M.* quoniam eadem depravatus, in exilium nonnullos egerit Episcopos, fatetur tamen liberè in *Hist. Sacr.* l. 2. c. 33. *Constantinus primus omnium Romanor. Principum Christianus fuit.* — Exinde tranquillis rebus pace perfruimur; neque ulterius persecutionem fore, credimus. — Idemqve mox: HOC TEMPORUM TRACTU MIRUM EST, QUANTUM INVALUERIT RELIGIO CHRISTIANA. Hæc cum illis non cohærent verbis *Arnoldinis*: Christiane rei statum non fuisse alium pejorem, quàm sub Constantino M.

Test. Praxagoræ  
paganæ & C. M.

S. XI. Quid si *Praxagoras Atheniensis*, & paganus homo, (qui de *Constantini M.* gestis, teste *Vossio*, lib. 2. de *Historic. Græc.* c. 17. volumina publicavit duo, quorum aliquot fragmenta extant apud *Photium*, in *Biblioth. c. 62.*) scripserit, & scripsit: *tanti se fecisse Constantinum M. ut prioribus eum Imperatoribus omnibus omninò anteferret; ET EORUM GLORIAM DICERET A CONSTANTINO ESSE OBSCURATAM.* Tanta veritatis vis & virtus etiam in Christian. hoste, meritò laudanda fuit. Eat nunc, & provocet non bonà satis fide, vel ad *Centuriat. Magdeburgic.* vel ad *Dn. Zieglerum* nostrum, vel ad *Osiandrum*, aliosve. Nos nunc idonei utemur testis fide, *Metropolitani scil. Episcopi, Eusebii.*

S. XII. Sed ad *κρινόμενον* & principale *ζήτημα* respiciamus prius. *Fueritne talis, & tantorum postulandus criminum ab adversario, Constantini M. ut Arianorum signifer, apostata, luxuriosus, idololatra, tyrannus, oppressor libertatis publicæ, fundator Pontificiæ insolentiæ Rom. jure appellari mereatur? Quot & quanta, cum injuriis extremis, crimina! Imperatori, optimoqve Principi impacta? Quæ, si per statum qualitatis, quantitatis, & definitivum iremus seriò examinatum, lege Generis judicialis*

*cialis*, vapularet gravius antagonista. Vid. ad h. l. Oratoria medulla nostra lib. 6. cap. impr. V. Singula videlicet flagitia octavo sui operis volumine, c. 3. à fol. 208. usque ad 223. uberrimè exaggeravit accusator *Constantini M.* quem per omnia *Eusebius* tuetur quidem, sed absolvere in singulis non potest. Interest candoris ac veracitatis, ἀμαρτήματα Imperatoris non dissimulare notiora. Homo fuit; nil humani abs se alienum habuit. Ab Aulicis deceptus delatoribus, & male fida conjugè, Zelo occupatus nimio furore, festinavit necem *Crispi filii*, & vindicavit in *Augusta* deceptrice facinus. Miser est enim Imperator (ut ad socerum *Misitheum Gordianus* inquit) apud quem vera reticentur: qui cum ipse publicè ambulare non possit, necesse est, ut audiat, & vel audita, vel à pluribus roborata confirmet. Modum necis intentatæ *Crispo*, F R I G O R E VENENI factum, (veluti *Sidonius Apollinaris* tradit, lib. 5. Epist. 8.) parùm, magis autem factum excusamus *Faustæ*, infauftissimæ uxoris; quæ, commemorante *Zosimo* ac *Zonara*, διὰ τὸ ταύτης ἀκόλαστον, propter impudentiam, aut impudicitiam, punita legitur; quòd simul consvescere arguebatur cum cursore quodam; *Philostorgio* prodente.

Navi C. M.

§. XIII. Profusis quoque sumptibus annumeramus & propitiando Numini nullatenus acceptum judicamus cultum, nimias in Tempia, & eorum ornamenta, quosdam etiam Episcopos, impensas factas. Sed favori tamen erga sacra, & errori nato inde, meritò tribuimus excessum, 2. liberalitatis. Quid non *M. ille Carolus*, & *Ludovicus Pius*, *Otto M. Lotharius*, & similes *Augusti*, pro Ecclesiis locupletandis, admisere? superstitionibus (nec tamen merè magicis) non nihil dedit, & progressus pedetentim in Religione Christiana indies majores fecit, & ad vitæ finem ivit gradibus; hinc, pro errore seculi, tamdiu distulit lavacrum sanctum. An gentilium everterit deorum fana passim? quod *Orosius* affirmat cum *Eunapio*, cum non irritare multitudinem tot populorum, & conficere rem tantam sine cæde vellet; jam non definimus. Hoc habemus confiteri, in celebrioribus quibusdam Urbibus, *Constantinopoli*, *Hierosolymis*, ac *Nicomediæ* splendidiora Oratoria & Tempia ipsum erexisse. Adeone fluctus excitare tantos debuit in simpulo *Arnoldi*?

§. XIV. Multò minùs exprobrandæ *Constantino* fuerant pecuniaræ exactiones. In tributiones & ærarii proventus vectigales privatorum non est reprehendere; qui nesciunt, in quo consistant nervi rerum gerendarum, & dominii eminentis axiomata. Quot enim inimicis, hostibus,

Pecuniaræ exactiones exprobr. C. M.

B





hostibus, hominibus pagānis opponendum erat latus? sine milite ac nudum? proh ineptias! Post *Diocletianum, Maximianum, Maximinum, & Maxentium, Licinium* supererat; proh quanta nomina insidiantium Imperio! falluntur opido, aut fallunt, qui perfidia & perjurio Imperatoris garrunt occisum esse. Aliter nimirum Christiani, aliterque *Zosimus* de cæde judicant *Licinii*. Innocentium & Nobiliorum servili modo cruciatu objicit *Aurelius Victor Schotti*; alter pestem publicam appellat. *Zonaras* πολλάκις ἀπίστον, foedifragum, *Cedrenus* in custodia Thessalonicensi, νεωτερίζειν & μισθόμενον βαρβάργς, res molitum novas, conduxisse barbaros *Licinium*. An pari possit excusari modo Cæsaris, & pueri *Licinii* extinctio? dispicere haud vacat. Habet aliquid iniqui fortè, quod dicente *Tacito*, utilitate publicâ rependebatur. Paternæ cædis vindex potuit timeri filius. Sed conferatur eò Dn. *Cellarius*, laudato supra loco n. XXX,

§. XV. Hæc hæctenus in *Constantino* aliàs notata, ne Historiæ vis inferretur, placuit discutere. In reliquis non discedendum temerè ab *Eusebio*; quem ἀυτόπτην καὶ αὐτήκοον vel X. aliis opponimus; inprimis, dum post fata *Constantini M.* cætera conscripsit: quem hîc non exscribimus: præterquàm quod ad imitationem, atque ad pudorem nostri pertinet exemplum; lib. 4. de vit. C. M. c. 33. *Auditorus in Basilica*, rogatus, ut in preparato consideret solio, id recusavit: cum multum temporis elapsam effluxisset, & finem facere *Eusebius*, ne nimiùm fatigaretur Imperator, velle, restitit, hortatus ad sermonem absolvendum. Cumque flagitaret *Eusebius*, ut sederet, subtristi & austero vultu respondebat: nefas esse, institutis dissertationibus de Deo, præbere negligentes aures, sibi verò esse hoc inprimis utile: cum piùm videatur, de divinis rebus differentes, erectos (arrectos) auscultare.

§. XVI. Poterat mereri digniùs *Jo. Leonclavius* de Numinis Vicario tam probo & constanti, *Constantino*, quàm ut *Zosimi*, pagani hominis, tantoperè extolleret auctoritatem, contra & *Evagrium*, & *Nicephorum Callistidem*. Fallor ne? an *Eunapius* Sophista, Medicus, apostatæ laudator *Juliani*, conjurasse visus est cum *Zosimo*? quem miror, cur non allegaverit frequentiùs *Arnoldi*. Hic nimirum ille fuit (teste *Photio*, in Biblioth. c. 77.) qui omninò eos vellicat, & largiter traducit, qui Imperium ornârunt singulari pietate, maximèque *Constantinum M.* impios extollit contra, & præ cæteris apostatam. Par fratrum nobile! si modo

*Zosim*

*Licini an perfide  
a C. M. occisus?*

*Exptum attenti  
auditoris verbi*

*Zosimus Eunapium* non expilando compilasset, Utinam *Praxagora*, *Atheniensis* superessent adhuc pleraque de *Constantino* scripta, ut ἐπισημομίξεν fortiùs liceret ethnicam dicacitatem.

§. XVII. Malignitatem *Zosimi* (quo teste semper utitur, post *Leon-clavium, Arnoldi*) vel solus instar omnium è gentiliùm Sophistis, sufficit *Libanius*, qui efficaciter retundat. *Libanius* nimir. *Constantini M.* Imperium ἀρχὴν Θεοφιλή salutatur, p. 104. ejusdem vigilantiam laudat p. 107. ipsum etiam appellat Θεϊότατον πάτερ p. 116. & ἅπασιν τοῖς εἰς ἀρετὴν Φέρουσιν ἅπαντας τὰς ἐμπροσθεν παραδραμόντας p. eadem. Omitto laudes ceteras, quæ illum effert, Tom. II. Orat. III. quæ λόγος βασιλικὸς inscribitur, Oratione certè copiosissimâ & honorificentissimâ, quâ *Constantini M.* manes, ipsumque *Constantium* & *Constantem* filios, cohonestavit, nisi quòd mortuo *Constantio*, *Libanius* nonnunquam in *Constantinum* invec-tus est, qui scribas Oratoribus anteposuisse dicatur; sic tamen, ut simul indoctorum hominum inscitiam coarguat, quòd bonis *Constantini M.* temporibus malè usi sint. Apologia p. 593. In, ad *Theodos.* Oratione, 13. p. 412. retulit convitia in *Constant. M.* jacta, Populi Romani, dum eradicandæ superstitionis gentilitiæ consilium susceptum de nova urbe *Constantini* excitanda, prodit. Idem in Apologetic. Orat. 26. p. 331. & Orat. pro Templ. p. 9. subindicat, à *Constantino* spoliatos deos τὰ πλῆθῆ, at non sacrificia prohibita fuisse, nec everisa Tempia. Quâ profectò fallitur, aut fallit, parte; cum apertè illud *Constans* Imperator filiusque fateatur l. 2. C. de Paganis, Sacrif. & Templ. Cui quæso major habeatur fides? Idem *Codex Theodosianus Constantini M.* Liberorum V. LL. exhibet secundum ordinem, adversus superstitionem gentilitiam. Pater *Constantinus M.* sacrificia idolorumque cultum sustulit; quod præter l. d. asserunt *Eusebius*, *Theodoret.* l. 5. H. E. c. 20. & *Cyrus* Monachus. Quia Tempia etiam gentiliùm edicto *Constantini M.* excisis priùs aris pariter & scholis, occlusa fuisse, præter *Orosium* lib. 7. c. 28. in fin. *Theodoret.* l. 5. c. 26. *Cyrus* memorat his verbis: ἄλλος καθείλε τὰς βωμὰς, ἐκλείσε τὰ τεμένη. Quin imò *Hieronymus* gentiliùm everisa Tempia statuit: *Cedrenus* factum illud Ann. *Constant. M.* 26. & 27. rescribit: τὴν κατὰ τῶν εἰδώλων καὶ τῶν ναῶν αὐτῶν κατὰ λυσιν ἐπέτεινε. Sed & *Eunapius* in vit. Aedesii 37. everisa Tempia celeberrima à *Constant. M.* esse, verbis firmat restatissimis: Κωνσταντῖνος τότε μὲν ἱερῶν ἐπιφανέστατα κατὰ σρέφων. Factum id fuisse sub *Coss. Dalmatio* & *Zenophilo*, ad Ann. Chr. 333. III.

*Zosimum retundit Libanius.*

comparabilis *Jacobus Gothofred.* annotat. in *Comment. h. l. & illustrat Per-illustris ipse Dn. Spanhemius* Seculo 4. n. 4. *Introduct. ad Histor. Nov. Testam.*

§. XIIX. Ne quis tamen arguat, favore scilicet Religionis *Christiane* tam clementer sæpius de *Const. M.* disertissimum *Libanium* fuisse arbitratum, dum, ad *Theodosium* Imp. multa scripsit, hominis pagani animum stylumque multa repræsentant. Si professione, propter sua commoda, exteriori, Christianis partibus quid dedit, temporis *Ecebolius* inserviebat, illos inter numerandus, quos descripsit *Plinius* Procons. ad *Trajanum*, lib. x. Epist. 97. *Propositus est libellus,*

*In primis Christiani sine auctore, multorum nomina continens, qui negarunt, se esse Christianos, aut fuisse; cum præeunte me, deos appellarent, & imagini tuæ, quam, propter hoc, jusseram cum simulacris Numinum afferræ, thure ac vino supplicarent: prætereà maledicerent Christo; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt reverà Christiani. Alii ab indice nominati, esse se Christianos dixerunt, & mox negarunt: fuisse quidem, sed desisse; quidam ante triennium, quidam ante plures annos. &c. Conf. in rem similem, quæ post Gabriel. Albaspin. l. i. de vit. veter. Eccles. obs. 19. affert B. D. Korbolt. in calumniis Paganor. contra Christian. p. 125 seqq. Græculi Sophistæ, ἐκεβόλιοι, ἀσῆρικτοι καὶ πρόσκαιροι, quantumvis se profiterentur Christianos sæpius, fuerunt. Ipse Ecebolius Sophista Constantinopolitanus, homo quidem ethnicus, sed Constantii Imperatoris metu, simulaverat se Christianum. Juliano tempore apparuit gentilis truculentus. Iterum Joviano imperante, ad Ecclesiam reversus, atque ante fores templi prostratus, maxima ingeminavit voce: *Salem me insipidum calcate!* Ad hunc modum levis Ecebolius inante, & post Julianum fuit. vid. Socrat. H. E. l. 3. c. 13. Sacrorum quoque proditores, atque irrisores facti, Lucianum ipsum superarunt. Tales *Aquila & Symmachus*, & similes; quibus Christiani, Christiani, rudes, impoliti ἰδιῶται, ἀνδρωποὶ καὶ ἀνδρες, μωροὶ, ἀνδράποδα, καὶ ζῶα ἀλογα nominabantur. Sic *Cecilius* apud *Minut. Felicem*, & in *Vita Peregrini Lucianus, Julianus* quoque, investiva, ap. *Nazianz. l.**

§. XIX. Per summa tantum ire capita, amore brevitatis, cogimur; τὸ νόμιμον, τὸ δίκαιον, συμφέρον, ἀναγκαῖον, χρήσιμον, καὶ δυνατὸν, καὶ ἔνδοξον respicientes. Si nimirum solas pro Religione Christiana, pro Ecclesiæ ac Reipublicæ salute passim latas contemplemur leges, larga

*Laudes uberrimæ*  
*Const. M.*

larga laudum seges, pro Imperatore glorioso, se offerret. De cessa-  
re iussa superstitione gentilitia jam submonuimus: de immunitati-  
bus ac privilegiis in Clericos Episcoposque dispensatis. l. 2. de  
*Episcop. Eccles. & Cleric. complur. L. L. l. 1. & 2.* de his, qui in Eccles.  
manumitt. de liberalitate erga Medicos, Grammatic. & Professores  
alios, disertè solidèque commentatus *Gothofredus* est, ex priscis Ora-  
toribus, *Eumenio, Nazario.* De pupillis, viduis, aliisque litigantibus  
miserabilibus personis, quanta non confirmavit beneficia, *Coss. Op-  
tato & Paulino. A. C. 334.* & ut non extra forum suum ad Principis  
evocarentur comitatum, cavit. *Philostorgius*, Cappadox, (qui sub  
*Theodosio* Iuniorè vixit, nec sine formidine mendacii, meretur fidem,)  
multò plura refert laudabilia de *Constant.* quæ hic studio silemus.

§. XX. Longum quoque foret percensere Constitutiones, cum Edictis, *laudabilia eius*  
reliquas: pro inhibendis persecutionibus, quæ hactenùs affligerant rem *facinora plura*  
Christianam publicam; pro revocandis tot exulibus, tot donatis libertate  
servis, ad metalla etiam damnatis: pro restituendis, quæ gentiles oc-  
cupaverant, pro fundis & Eccles. bonis. cœmeteriisque, pro hæreditate  
asserenda proximis agnatis Martyrum: pro Templis exstruendis, instau-  
randis: pro Ecclesiis dotandis, & faciendis erogationibus ad pios usûs.  
Quæ ut alia id genus plura, post *Euseb. de Vit. C. M. l. 2. Codex Theo-  
dosianus* memorat prolixius. Quid dicam de everfione idolorum,  
delubrorum & fanorum, de Templorum expiatione, postmodò secuta,  
& figendo *Stavropegio?* symbolo nimirum crucis ibi collocato, veluti *Stavropegium,*  
Religionis Christianæ signo; quod ferebant æquiùs pagani, quàm  
subversionem eorundem; ut *Libanius* testatur in Orat pro Templ. Gra-  
dibus videlicet tendendum *Constantinus* censuit, ad ampliora; cum  
& ipse indies perficeretur magis in Religione vera, & par abolendis  
unà omnibus non esset superstitionibus. *Reliquias proinde pagano-* *Reliquie paga-*  
*rum varias vidisses, in Imperio Romano,* quamvis Christiano. Pri- *noze varia in*  
mùm enim splendida gentilium mansere Tempa, in Urbibus majori- *Imp. Rom.*  
bus illæsa; *Romæ Capitolium, Alexandria Templum cum imagine Serapidis,*  
*in suburbio Antiochie Daphnes Templum cum Apollinis idolo ac Dianæ, Ga-*  
*za* item, & per *Asiam, Europam, Africam,* antiqva monumenta. Cives, *b)*  
populus, agricolæ, milites, Magistratus, Præsides Provinciarum Chri-  
stianis mixti: plurimæ tenaces superstitionum mentes. Ut sub *Valen-*  
*tiniano,*

tiniano, Theodosio, Arcadio fuerit Senatus adhuc ethnicus Romanus; ceterum ex Symmachi epistolis patescit. A gentilibus acceptæ ac retentæ inter Christianos voces, formulæ ac phrasæ; v. g. *Astarchæ, Flamines, Penates, Genialis Torus, divi Principes, Fortuna, Manes, dies fasti & nefasti*. Quod uberius persequitur Spanhemius ὁ πάλιν, loc. antea laudato, p. 355. seq;

Mores populi Rom. S. XXI. Mores quoque populi Romani, variis in melius mutare rationibus, & ad concordiam, humanitatem, pietatem *Constantinus* studuit traducere, ad populum Edictis publicatis, & propositis ad *Basium* Constitutionibus & *Maximum*, Præfectos Urb. Cui rei fidem facit etiam *Porphyrius* in Panegyri. Carm. 6. & *Nazarius* in Panegyri. c. 38.

quod. In. superstit. adhuc permisit. Nisi quod haruspicinæ usum Romæ non prohibuit in publico, atque magicas (innoxias sic dictas) & agriculturæ utiles, Senatui indulgit. Fulgurum interpretationes enim, & fulguratores inde dicti, fulgurum, extorum, casuum expositores publicè permittebantur. Quod, nec præter meritum, *Sozomenus* miratur l. i. c. 3. cur ex eo tempore, quo amplexus Christiana sacra *Constantinus M.* est in *Galliis*, has tulerit tamdiu paleas? *Theodoretus* item, pluribus in locis. Qui hoc singulare tamen observare solitus in *Constantin.* lib. i. Hist. Eccl. c. XI. *Eos, qui conveniant Nicæam, trecentos & octodecim Episcopos cum verbis, tum muneribus excepit humanissimè, universis simul præbens epulum.* Præcipuos admovit mensæ suæ, reliquos distribuens per cœnationes, aut stibadia. Cùmque dextros oculos effossos cerneret quibusdam, comperissetque, eos ob constantiam in fide Christiana, hoc supplicium tolerasse, vulneribus admovit labra; hinc se benedictionem percepturum aliquam confidens. Vide, quanta fidei opinio potuerit svadere!

Humanitas eius singularis erga Episcopos. S. XXII. Venit in mentem nobis P. *Jodoci Keddi*, *Ignatiani* Sacerdotis olim, lepida inventio. Hic, dum eas sibi sumsit partes, ut laudaret *Constant. M.* quasi Principem *Catholico-Romanum*, multas illi superstitiones non solummodò, sed crimen quoque parricidii, in conjuge, ac *Crispo* filio, commissi, lepræ insuper foedissimæ memoriam eidem tribuit. Hunc tamen ultus cordatissimo, per dissertationes VII. Theologicas, responso est Theologus magnorum quondam meritorum, Dn. D. *Andr. Kunadus*, (qui in Filiis Nepotibusque in clytis celebrior hucusque factus,) ea de Imperatore, quæ ad gloriam majore-

majestatemque ejus pertinent, adduxit. Inter alia fatetur diss. 1. ad  
 externum cultum, atque adiaphora potissimum spectare *stipulas &*  
*paleas*, frumento mixtas nobili, errores *Constant.* seculoque magis,  
 quam improbitati Opt. Imperatoris irrogandos esse. Signum Crucis  
 quanti semper aestimaverit, quantumque illi vindicaverit, bellorum  
 pariter ac pacis tempore, loquuntur omnes. Gratulatus sibi de Vi-  
 ctoriae memoriali symbolo, & lemmate, stellatis literis insigni: *ΕΥ*  
*ΤΥΤΩ ΝΙΚΑ*, in hoc vince! confirmationis melioris gratia, ad S. S. le-  
 ctionem se accinxit & constituit, *τὸν ὀφθέντα θεὸν* (in somno nempe)  
*πάσαις ἡμῶν θεραπείαις.*

§. XXIII. Negat interim verissimè, Ecclesiam tum temporis ab  
 omnibus immunem superstitionibus fuisse. Namque inter ipsos Mar-  
 tyres coeperunt similitates gliscere; invidia, calumnia, ambitione super-  
 stitione, à Diabolo disseminatâ. Martyres vexabat etiam superbia.  
 Solebant quoque *Christiani*, ut exemplo aliorum alios in persecutio-  
 nes animarent, ossa & reliquias colligere piorum, in religiosis locis  
 reverenter admodum habere; quin & memoriae illorum solennes con-  
 secrare dies. Peperit res illa superstitionem & *κρυοδοξίαν*, quin &  
 temeritatem properandi ad martyrium. Ut ideo deinceps cautum  
 oportuerit: *ne quis se ultrò amplius persecutoribus offerret; secus no-*  
*men ejus non relatum iri inter Martyres, catalogo.* Vid. eò *Clemens*  
*Alex. Stromat. l. 4.* Ut manifestissimum evadat dogma, omni seculo,  
 Apostolorum quoque tempore, sub ipsis porro persecutionibus, non  
defuisse purgamenta hominum, erroribus lapsorum, libellaticorum,  
 & apostatarum. Quis igitur miretur amplius, si ab hac labe non ex-  
 titit immunis Christiana res, sub Constantino M.

§. XXIV. Superest *τὸ ἐκβησόμενον*, eventus. *Omnia tunc bona*  
*sunt, clausula quando bona est.* Eventus coronabat opus. Sexaginta  
 tres ampliusque natus annos Imperator Orientis pariter ac Occiden-  
 tis, in *Persas* tendens, summâ cum lætitia baptizatus Nicomedia in  
 suburbio, rebusque ordinatis inter filios, beatus, gloriosus, felix, Deo  
 commendavit spiritum: illatum funus in Martyrium Apostolorum,  
 inque Urbem sui nominis à se exstructam, cerimonia ingenti. Ope-  
 rosus in his recensendis extitit *Eusebius*, extremo de vit. C. M. libro.  
 In magnificentissimis, editiore loco, ædibus deposuerunt funus milites,  
 lumini-

*Ecclia t. t. ab omni  
 superstitione f.  
 immunis,*

*is origo,*

*Constant. M.*

*baptismy,  
 mors,*

*prompa funebr.  
 lumini-*

525  
luminibusque super candelabra aurea accensis, θαυμασὸν θέαμα τοῖς  
ὄρωσι παρῆχον, admirabile videlicet spectaculum praebebant intuentibus,  
|| ut nunquam in terris, & sub sole, simile à mundo condito, sit visum.  
c. 66. l. 4. Euf. Quantumvis autem multa simul sparsa sint errorum  
semina, annumeranda paleis; fatendum tamen, illustrasse orbem uni-  
versum *Constantiniana* tempora: fatendum quoque, *Mundi Regna*  
*maxima, potestatemque Christi facta & sanctorum ejus*; quod ante du-  
centos & XX, annos doctor sapiens Apocalypticus praedixit.

\* \* Ad §. XVII.


Libanius in Basilico, seu Panegyrico, Imperatoribus  
*Constantio & Constanti* dicto, de parente, *Constantino M.*  
differit seqq.

Ὁμολογεῖται μὲν γὰρ ἐκείνῳ ἅπασιν τοῖς εἰς ἀρετὴν φέρουσιν ἀ-  
παντας τὰς ἐμπροσθεν παραδραμῆν. &c. Latinâ versione sensus: Enim-  
verò ille uno omnium consensu omnes, qui ante ipsum fuerunt, Prin-  
cipes, cunctis, quæ ad virtutem tendunt, anteibat. Hoc cum ita ma-  
nifestum sit, ut ancipitem minimè admittat sententiam: rursus in confes-  
so est, tantò ipsum Aug. aliis virtute bellicâ antecellere, quantò ceteros  
omnibus laudibus præteribat. Etenim, cum multa, ut reor, ab illo bel-  
la excitata fuissent, hæc adversus ejusdem gentis Viros, alia adversus  
barbaros, nullum est, quod non ex animi sententia gestum composue-  
rit; neque quod eum suscepisse pœnituerit; neque quod absque spoliis  
confecerit: verum tanquam si pactum & syngrapham cum fortuna, pro  
victoria perpetua transegisset, ita confusus arma deponebat, ut  
exitum spei consentaneum referret.

T. Θ. Δ.

WXX

nc



COPIED  
1840  
1841  
1842  
1843  
1844  
1845  
1846  
1847  
1848  
1849  
1850  
1851  
1852  
1853  
1854  
1855  
1856  
1857  
1858  
1859  
1860  
1861  
1862  
1863  
1864  
1865  
1866  
1867  
1868  
1869  
1870  
1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880  
1881  
1882  
1883  
1884  
1885  
1886  
1887  
1888  
1889  
1890  
1891  
1892  
1893  
1894  
1895  
1896  
1897  
1898  
1899  
1900

